

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xa. 4

EPISTOLARVM
MEDICINALIVM CONRADI
GESNERI, PHILOSOPHI ET
Medici Tigurini,

Ma 5744

LIBER QVARTVS.




VITEBERGAE
Ex officina typographica Simonis Gronenbergij.
M. D. LXXXIII.

14)



M V R Epigramma.

rganon est natura DEI, hic sed roboris
autor:

Officium Medicus praestat vtrique suum.
Seruat enim saluum naturæ robur, & auget:

Viribus amissis atque ministrat opem.

Angelus hoc terris perfunctus RAPHAEL olim
Munere: Nunc Medicus creditur esse Dei.

Vates & Medicos æquè est venerata vetustas:

Nam pater amborum Phœbus Apollo fuit.

Quin & diuinus illi decreuit honores,

Qui bene Pœonia sustulit arte malum.

Ac Medici potius, Ginges, Mefues, Sabor, Hermes,

Quàm regis nomen concupière sibi.

Non igitur ratione caret, Scriptura peritum

Quòd Medicum summo laudis honore beat.

Est medicina etenim scitu pulcerrima: nempe

Cui summos reges inuigilasse ferunt.

Sed nemo Medicus factus, qui non prius artis

Imbutus physicæ cognitione fuit.

Qui cupit hoc igitur geminum coniungere corpus,

GESNERI assidue scripta diserta legat.

Michael Debrechinus Vna
garus.

DEDICATORIA.

Gesnerianis, post mortem ipsius Tiguri editis, inserta, parum candida Doctoris Kentmanni mentio fiat, id hominum maleuolorum improbitati imputandum esse, reliqua ipsius epistolæ indicio sunt locupletissima.

Cum igitur has epistolas Conradi Gesneri, viri clarissimi, multiplici rerum physicarum tractatione refertas, consilio & hortatu amicorum typis mandare & in lucem emittere decrevissem: visum est mihi, Magnifice & Nobilissime Domine, eas nomini tuo inscribere: primo, quod non ignoro, Magnificam D. T. optimarum artium liberaliumque disciplinarum studia amare, magnifacere, & mira animi alacritate promouere. Deinde, ut hoc officii genere meam erga Magn: dominationem tuam, promptam voluntatem & obseruantiam declararem. Cum enim in hac Academia Vitebergensi Magnifica Dominatio tua summa cum laude pietatis, modestiæ, integritatis & diligentia vixerit, eoque magnam generosi sui animi significationem ediderit:

derit:

EPIST. DEDIC.

derit: ha ipsa virtutes spem mihi fecerunt non
ambiguam, fore, ut eas Magnifica Dominatio
tua sub auspicio nominis sui in hoc loco editas, be-
nigno, beneuolo, adeoque liberali animo susceptura
sit. Quae mea spes si optato suo fine non caruerit,
in id & in posterum totis viribus incumbam, ne
quid eorum, quae Generositati tuae grata & acce-
pta esse intellexero, à me pratermittatur.

Deus sapientiss. mundi creator & conserua-
tor, cōsilia, actiones & euentus in tota M. D. T.
gubernatione Spiritu suo sancto regat. prouehat,
& fortunet: & M. D. T. cum uniuersa nobili
& generosa familia diu saluam, incolumem &
florentem conseruet. Data Vitebergae,
7 Martii, anno Christi 1584

Magn. Dom. T.

reuerenter & demissè colens

M. Simon Gronenbergius
Pomeranus.

EPISTOLARVM MEDICINALIVM CONRADI GESNERI, PHILOSOPHI ET MEDICI Tigurini, Liber quartus.

DOCTISSIMO VIRO

D. Io. Kentmanno Dresdensi, Medico excellenti, domino & amico suo colendo, S. D.



VM paulò prolixius ad ornatissimum virum D. Georg. Fabricium scriberem, & nuncius moram non ferret, malui breuissimè quàm nihil prorsus ad humanitatem tuam scribere. Quòd tam candidè picturas animalium, quas habes, mihi offers, Kentmanne doctissime, gratias tibi ingentes habeo: & curabo, si Dominus vitam extenderit, vt quanti te faciam & amem, meritò quidem, & insigni beneuolentia tua illectus, breui intelligas. Animalium picturas, quæ in catalogo tuo nominantur, plerasq; iam habeo, partim aliande, partim à D. Cornelio Sittardo, Norinbergensi medico, natus, qui eas liberalissimè mecum communicauit. Desidero tamen ex tuis piscem S. Petri, Pompilem, Clauem, si rectè lego. quædam enim non satis intelligo, propter inscitiam, vt videtur, amanuensis: vt sunt, Horellus marinus, Edron. Canem marinum ex Oceano D. Georg. Fabricius misit, tu si alterius fortè generis habes, illum quoq; mitti cupio: & insuper quæcunq; habes, quorum nomina tibi ignota sunt. Quod si picturas tuas miseris, easdem bona fide remittam: sin ad exemplaria tua depictas, curabo vt impensas numeret typographus nostris in nundialis autumnalibus Francofordiæ.

A

Sed

EPIST. CONRADI GESNERI

Sed aliàs plura, nunc propter nuncij festinationem non licet.
Quamobrem ignosces. Vale, & fauere laboribus nostris per-
ge. Tiguri, 1550. Aprilis die 22.

Tuus

Conradus Gesnerus.

EXCELLENTI MEDICO

D. IOHANNI KENTMANNO

Dresdensi, Domino & amico suo in
primis colendo.

Non possum non exosculari candidissimam istam libera-
lis animi significationem, Kentmanne optime & doctis-
sime, quam mittendis tuis animalium imaginibus tanto lo-
corum interuallo, & ad hominem ignotum, plenissimè mihi ex-
hibuisti. Sed in præsentia verbis tantùm gratias tuæ huma-
nitati ingentes habeo: Re ipsa enim gratum erga te animum
declarandi occasionem aliàs mihi non defuturam spero. Multò
certè promptiùs atq; alacriùs innumeros tantum opus de omni
animantium genere conscribendi labores posthac subibo, &
Dei Opt. max. fauore ad umbilicum perducam, post-
quam tanto candore tu & alijs apud vos præstantissimi viri co-
natus meos promouetis. Ad proximi veris nundinas imagi-
nes tuæ ad te redibunt. Quòd si etiam plantarum icones, quas
ex Italia habes, ad me miseris, erit quod vehementer gaude-
am. Omnino enim plantarum historia delector, & sæpenu-
merò etiam in opere de animalibus ad plantas digredior. Va-
le in Domino, & nostris studiis fauere perge. Tiguri, 1550. Ca-
lendis Decembris.

T. ex animo

Conradus Gesnerus.

Eff.

Effigiem autem Norinbergæ excusam
prius etiam videram. Manucodiatam
nominat Cardanus in opere de sub-
tilitate, ibidem excuso, quod te vidis-
se puto, multa sanè rara & ἀξιωμακόσ
νευτᾶ continet.

Volueram hæc adscri-
bere in literas ad D.
Georg. Fabricium, sed
forsan tibi etiam non
ingratus est error.

EXIMIO VIRO D. IOHANNI
Kentmanno Dresdensi, medicinæ Do-
ctori clarissimo, Domino suo
honorando.

Purimùm equidem tibi debeo, Kentmannè doctissime,
qui tam liberaliter, amicè, candidè, multas & elegantissi-
mas tuas picturas mihi communes feceris. Eas nunc
remitto per bibliopolam vestrum. Commisi enim typogra-
pho nostro Francofordiam vehendas. Tomus primus intra
quatuor, spero, menses absoluetur, ad nundinas Septembris de-
mùm Francofordiam aduehendus. Paulatim deinde, si vixero,
secundum etiam adornabo. Interea si quid cognitione di-
gnum ad te peruenerit, eodem, quo cœpisti, animo labores me-
os promouere vt pergas, impensè te oro. Ego, ne possim me-
ritò ingratus videri, operam dabo.

Mitto ad te momentum olei de nuce muschata. Parari
modus hic est: Noces electæ circiter viginti crassiuscu-
lè contusæ bono vino macerantur per noctem, deinde in pa-
tella calefiunt ad ignem, citra ebullitionem, ita vt digitus
adhuc pati possit calorem illum. Tum infunduntur in exi-
guum sacculum linteum, qui filo colligatur, & in vasculum
ad hoc aptum impositus sub prelo fortiter exprimitur. Ef-
fluit autem vinum cum oleo: oleum ceræ fermè colore &
substantia est: quod à vino diligenter separari debet, digi-
tis premendo, vel per linteolum colando. Ex vncia nucum,
olei

A 3

olei

EPIST. CONRADI GESNERI

olei ferè duæ drachmæ habentur, si bene memini. Huius olei quantitate ciceris os ventriculi inungitur: calefacit, & mirè confortat. Potest etiam intra corpus sumi, per se, vel cum alijs. Aliqui renes & perineon siue partem inter anum ac pudenda illinunt, tanquam amissam aut debilitatam coëundi vim restituat. Ego tam suavi & precioso oleo ad eam rem uti nolim. Superioribus nundinis succum mirabilem ex veratro nigro, ni fallor, ad te misi, nescio an parandi quoq; rationem. Tu si quid arcanum aut egregium in re medica habes, vicissim mecum communicato. Accipies etiam θαυμασιωτάτην καὶ φαρμακωδέστατην olei de vitriolo compositionem, si voles. Vale in Domino. Tiguri, 1551. tertio Martij.

T. ex animo

Conradus Gesnerus,

CL. V. D. I. O. KENTMANNO
Dresdensi, medico & philosopho præstantissimo, amico suo honorando,

TV verè humanitate benignitateq; tua, præstantissimo Kentmanne, plurimum me subinde exhilaras, ita ut omnis tui memoria mihi iucundissima sit, & ita facilis eos, quos sustineo labores, perferam, & veluti stimulo quodam, ad ea, quæ inchoavi, perficienda impellar. Quod, ita me Deus amet, nulla adulatione, prorsus ingenuè scribo. Sunt enim omnino paucissimi, qui vel verbis studia mea subleuare ac recreare dignentur. Tu verò & Fabricius noster, etiam re ipsa sæpius conatus meos iuare & ornare non desinitis. Itaq; sentio quantum vobis debeam, & doleo non tantum esse in rebus meis, quantum vobis obstringor. Præstabo tamen paulatim, ut me neq; immemorem vestri, neq; ingratum existimandi

LIBER QVARTVS.

istimandi occasionem vobis præbeam, & si minùs in vos priu-
tim præstitero, vestro beneficio tamen magna ex parte de-
bebunt Studiosi, quantulumcunq; illud est, quod ex scriptis
meis in publicum vsum perueniet. Matthæoli Senensis in
Dioscoridem commentarios fortè iam vidisti, qui nuper la-
tinè editi sunt: h̄s adiectæ sunt quædam nouæ stirpium ico-
nes. Quod si quæ fuerint inter tuas stirpes, quarum locuple-
tissimum catalogum Fabricius ad me dedit, quæ in vulgatis
hactenus Tragi & Fuchsi botanicis libris, & insuper Mat-
thæoli, si iam vidisti, non contineantur, illa ad me depicta
mitti percuperem: Cuiusmodi sunt imprimis, Satyria Dioscori-
dis, Tulipa Turcica, Medion, Epimedion, Pericarpus Plinij,
Herba repressa, Phalangium, Trifolium spinosum, Abutilon
Auicennæ. Cyclaminus Romana, si quid à communi dif-
fert, Ambrosia Diosc. Ficus Indica, Holosteum, Rhapontis-
cum ex monte Tauro, Rhabarbarum, verum, Chironium, Poly-
gala, Nucis muscatæ folia.

Ceterùm ex piscibus, quorum itidem nomina per classes
distributa Fabricius misit, desidero pingendos, & si quid de na-
tura eorum addici potest, ne nudas lectori icones proponam:
Den Ziege oder Goldfisch / Halbfisch / Elden / Druseker /
Wels / Kaulperling / Jesen / Diebeln / Kappen / Blehen /
Genser / Zorten / Seelen / Karas / Oberförsichen / Schnep-
pelfischen. Fieri quidem potest, vt iam nonnullos ex istis
habeam sub alijs nominibus, plerisq; tamen carere me puto.
Sumptum, quem indicaris, rependam, & in quacunq; alia
re gratificari potero, non detro officio meo. Quod si
etiam aliquando per ocium ad librum nostrum Euonymi,
de arte destillandi aliquid contuleris, hoc quoq; pergratum
erit. Librum de auiibus nostrum, cum exierit, ad te mit-
tam, intra 4. aut 5. menses, sed priùs etiam aliquid in re me-
dica nostra, quod nunc apud nos cuditur, ad nundinas pro-
ximas Francofordiam vehendum à Gesnero patruale meo
à quo, si fortè obliuiscar, exemplar petes, scheda, quam addidi

EPISH. CONRADI GESNERI

missa. Interim vale quàm felicissimè. Tiguri, Junij die 22
anno 1554.

T. T.

Con. Gesnerus Medicus.

CL. V. D. IO. KENTMANNO
medico excellenti, domino & amico opti-
mè merito.

REmitto tibi, optime Kentmanne, librum tuum illum pul-
cherrimum, quo stirpium & animalium icones permul-
tas & raras diligenter complexus es: ac pro hoc bene-
ficio gratias tibi immortales habeo. Quod si vixero, donec
stirpium historiam in lucem edam, quod maturè facere statui,
quantum tibi pro ista non erga me solùm, sed in communes li-
teras benevolentia Studiosi debeant, candidè profitebor, &
testabor honorificè. Interim tu pro summo candore tuo me
amare atq; iuuare perges. Intellego etiam Fuchsum hoc anno
editurum Tomos duos de stirpibus, quarum figuras supra mille
habeat, sed non idcirco deterrebor ab instituto meo, nam &
figurarum numero fortè non superabor, & aliter quàm de ani-
malibus, breuiter argutèq; de singulis scribere conabor, stylo
mediocri & æquabili, &c. Multa mihi pulchra & rara alpes no-
stræ suppeditauerunt, quas ego diuersis in locis conscendi,
capite interdum, vt mihi videbatur, nubes affecutus, & forsan
etiam æstate proxima aliquò expatiabor. Multa mittunt amici,
& ego succisuis lectionibus, & cura hortensi, & medendi vsu
in me atq; aliis multa noua experior ac obseruo. Quamobrem
fore spero, vt beneficiorum in metuorum te non poeniteat, tu
certè misso codice tuo me excitasti, vt de plantis omnibus scri-
bere proposuerim, & figuras omnium (Fuchsi, Tragi, Dodo-
næi, Matthæoli Senensis, Turneri, Bellonij, Loniceri, tuas &
meas) in vnum volumen coniungere: viribus singularum bre-
uissimè adscriptis, &c. Figuræ mihi iam circiter mille sunt, si
tuis meisq; impressas in diuersorum operibus adnumerem. Sed
video

LIBER QUARTVS.

video prius mihi edendum esse librum de aquatilibus, quem nunc primam conseribere incipiam, materia iam dudum collecta. Ad hoc opus piscium, qui apud vos sunt, quorundam picturas desidero, non magnas: potest enim magnitudo verbo vno adscribi: sed paruas & diligenter expressas, nempe illorum, quorum hæc in libro tuo nomina inuenio: Zige/ ad numerum 3. vbi Goldfisch etiam scribitur, nescio an diuersus piscis: & Salbfisch in eodem ordine. In secundo, Schmerling/Steinschmerling/Wels/ In tertio, Zaulpersing/ Streiffpersing/ Parm. In quarto, Jesen/ Diebeln/ Kappen/ Beuster/ Berten. In quinto, Oefeln/ Oberkörtchen/ Barts/Schneppelfischen. Sunt fortè ex illis quidam apud nos quoque, sed aliis nominibus. De singulis etiam breuiter scribes, cum vacabit, quæ ad apparatus & salubritatem vel succum & alimentum ex eis pertinent, sicut Rondeletius, medicus Monspeliensis, nuper fecit, cuius de piscibus Tomi duo (qui tamen in vnum volumen coniungi possunt) Lugduni nuper editi sunt. In Euonymo nostro si quid emendandum vel addendum iudicas, per ocium scribes. Pro Phamoni libello gratias habeo, edam illum per ocium cum figuris & aliis quibusdam nouis de canibus. Commendabis me D. Grauius, qui Oceani germanici piscium aliquot rariorum figuras se curaturum mihi depingendas recepit. Quam in re perficienda maximè illum Fabricius noster vrgerè poterit: quod vt faciat, tu quæso eum hortare. Mitto ad te librum de auibus nostrum, & Epitomen Bibliothecæ nostræ. Vale in Domino felix, & mihi impera. Tiguri, 1555. Martij die 16.

T. perpetuo

Conradus Gesnerus.

Mitto ad Exc. tuam, doctissime Kentmanne, epistolam in tuum nomen inscriptam, Moschionis de muliebribus affectibus libro Græco præfigendam, si tibi non displicuerit, & typographus aliquis admiserit. Vix enim vt Græcè aliquid serosim edant induci possunt. Si omnino detrectent, inueniam Latina aliqua eiusdem argumenti, quæ adiungam. Tu si quid fortè habes, communica. In epistola dedicatoria, pro tuo arbitrio mutabis,

EPIST. CONRADI GESNERI

mutabis, addes, detrahes, & tempestiuè remittes, si quid muta-
ueris.

Remitto etiam stirpium aliquot icones, quas collegisti
& depinxisti Torgæ, à Georg. Fabricio nuper missas, pro
quibus maximas humanitati tuæ gratias habeo. Meum de
nonnullis iudicium adscripsi. Quasdam miratus sum denudè
à te pictas, cum in libro, quem prius misisti, satis benè pictæ
habeantur, ut Ornithogalon, & Bulbitæ. Doronicum in
horto meo hoc ipso tempore floret, sæpe à me in alpibus le-
ctum, sæpe plantatum: sed huiusmodi foliis, qualia à te pingun-
tur bina A. & B. literis mihi signata, nunquam inuentum. Ver-
bascutum odoratum quoq; nobis frequens est: de quo in li-
bello de Lunaribus plura scripsi. Habebas id quoq; prius ex-
pressum, sed flore singulari.

Æliani nostri opera nuper ad te misî, & libellum de Aquat-
ilium nomenclaturis. eâ si accepisti, quod non dubito, signifi-
ca: & de aquatilibus libellum primo quoq; ocio perlege, eam
præsertim partem, quæ de Germanicis nominibus est, & ubi-
cunq; poteris, emenda, literis maturè mittendis. Iam enim sub
prelo natant pisces mei, vix intra annum enataturi, tantum
est pelagus. Reliquos pisces Albis vestri, quos aliquoties
iam peti, ardentissimè expecto. Vale feliciter, & me ama. Ti-
guri, anno 1556. Octobris die 29.

T. T.

Con. Gesnerus Medicus,

Valerianæ Græcæ, Ornithogali, Apn̄ vel Ischadis, Oci-
mofidis imagines, & si quæ alia non vulgaria sunt, desidero.

CL. V.

CL. V. D. IOHANNI KENTMANO
no, Doctori, medico & philosopho eximio
doctissimoq; domino & amico
charissimo suo.

PRæpropera & inopinata mercatorum nostrorum pro-
fectio facit, ut breuiter & inconditè hæc effundã. quæ-
dam in literis ad D. Georg. Fabricium scripsi, quæ te-
cum ut communicaret rogavi. Quæ misisti, Kentmanne mi-
ornatissime, omnia accepi summa cum voluptate & læticia.
Sunt enim peregregiæ & diu mihi desideratæ piscium & aliæ
quædam ad viuum factæ icones: & eruditæ copiosæq; de-
scriptiones. pro quibus non solùm Albis, Albiniq; populi,
sed alij etiam multi tibi debebunt: neq; hæc solùm ætas no-
stra, sed omnis posteritas: ego honoris tui rationem eam ha-
bebo, quam debeo: simpliciùs tamen, ne vel affectare, vel
adulari videar, pleraque ad finem operis mei accedent,
quæ tardiùs quàm ut suo loco poni licuerit, accepi. Vel-
lem per ocium cæteros omnes pisces Albis similiter à te ger-
manicè depingi, vt liber de piscibus Albis vernacula lingua
ederetur, vel apud vos, vel hîc potiùs apud nos, qui scul-
ptas iam plerasq; imagines habemus. Piscium opus no-
strum non ante duos menses absoluetur, propter impedi-
menta quædam quæ inciderunt. Reliqua in literis ad Fabri-
cium leges. Nomenclaturas metallorum tuorum, si non
displicebit, tradam typographo alicui, vnà cum insignibus
& carminibus impressis, quæ misisti. Moschionis editionem
primo quoq; tempore promouebo: Cuius nuncupatio-
nem tibi non improbari valde gaudeo. Vale, & igno-
sce: meq; per omnem vitam de gratitudine, tibi quam de-
beo referenda cogitaturum tibi pollicere. Tiguri, 17. die
Martij, anno 58.

Excel. Tuæ studiosissimus

Conradus Gesnerus.

B Ex

8

EPIST. CONRADI GESNERI

EX fossilibus tuis desidero quæ subscribam : ita tamen ut de iis solùm ad me mitti, quantumcunq; de singulis, cupiã, quæ tibi abundant. si quid verò exiguũ aut singulare est, nõ peto, nisi ad inspiciendũ saltem, ut ad te redeat, mittere non graueris. Medullarum saxatiliũ vna aut altera species. Ex terris, saponaria, chia, ampelitis, erythræa, melia, bolus Vngaricus verus : Ochra fistularis : terra rubra Vualdenburgen : Sal Indicus, Colomeus : item strumeus lacustris. Atramenti natiui species aliquę. Melantheria, Chalcitis, misn, forñ. Ærugo natiua. Arsenicũ album & luteũ, siue cadmia, Weisser vñ gelzer hättencaudy. Succini aliquę differentię, vt cinereum, nouum, falernum, melleum. Ex lapidibus, anthracites, galactites, hæmatitæ aliqui, gypsum eborefcens, ammochryfos, enosteos, Ceraunia, ammonites vel amintes, perdicites, hieracites, belemnites pellucidus, Gæodes, Armenius, enorchis, phenigites Plinñ. Item diphryges, pompholyx. Fluor sexangularis, echino ouario similis. Marmoris vna & altera species, Cobaltum. Ignis subterranei consumpti. Cadmiæ species. Spodium su Ach. Ex marinis, halcyonñ species, saltem secunda. Corallium nigrum. Melicera vel fauago. Petunculi aliqui. Trochus. Tribuli vel Siphunculi.

Montem habeo Metallicum, in quo omne genus metallorum ac fossilium coniunctum est in corpus vnum, cubitale ferẽ, summa industria. Munus hoc est Clarissimi apud Misenos viri, felicitis memoriæ, Valentini Grauß, & partim Georg. Fabricii, Poëtæ doctissimi. Huic ego simile aliud opus meditor, ex omni variorum lapidum & gemmarum genere concinnandum, ita vt singula quæq; distinctè ac luculenter appareant. Multa iam habeo, & rara quædam : vbi paulò plura nactus fuero, artificii construenda dabo, & libellum edam, cum ocium erit, qui descriptiones contineat, & dialithi huius, & metallici operis : quod iam latinè ac Germanicè à Georg. Fabricio descriptum habeo. Ad hoc meum institutum, quod dum paro, interdum à perpetuis meis lucubrandi laboribus me refoçillo, si quid habes rariuscule

lum

LIBER QVARTVS.

lum in hoc genere, lapidum inquam, lapillorum aut gemmarum, non nimis preciosum, nec inclusum auro, symbolum quæso ad hanc structuram confer: vt tui quoq; in eo opere, quotiescunq; contemplabor, memoria mihi semper renouetur. Inseram enim tuo nomine quicquid miseris, etiamsi prius haberem. Vale, & lithagyrtæ huic ignosce.

CL. V. D. GEORG. FABRICIO,
Poëtræ doctissimo.

Valeo Dei gratia, & nunc tandem sub finem piscationis meæ verfor. Dolui superioribus nundinis nihil à te, nihil à Kentmanno literarum ad me datum: non tam quòd nihil acceperim, quàm quòd de valetudine vestra frequētius certior fieri cupio. Volumen meum de piscibus si ante Septembrem ad vos mittere potero, faciam: sin minùs, æquo animo expectabitis. Inde maiori animo maioriq; fiducia stirpium historiam aggrediar, sed alio modo, breuissimè, & æquabili stilo. Deus O. M. adsit cœptis. Kentmanno plurimam ex me salutem dices, & Moschionis editionem primo quoque ocio promoturum me, indicabis. Virum hunc pereruditum, doctorem medicum, qui ex Italia reuertens me inuisit, humanitati tuæ commendo. Vale. Tiguri 11 die Iulij, anno 58.

T. T.

Conradus Gesnerus.

B 1

Scriptisti

EPIST. CONRADI GESNERI

Scripsisti ad me aliquando, Hirseit piscem
esse in Marchia Brandeburgensi: is qui-
nam qualiscūq; sit, obsecro mihi inquire. Si fieri potest,
Itē Sandat vel Zandet, qui etiā in Viadro pingantur.
capitur in eadem regione, & Noribergā
exportatur.]

CL. V. D. IO. KENTMANNO,
medico nobilissimo, domino & amico suo
honorando.

Absolutum tandem de aquatilibus volumen, clarissime
Kentmanne, ad te mitto, & alterum ad Georg. Fabri-
cium nostrum. In quo ut per ocium aliquando ver-
sari, & censuras tuas mihi conscribere quā liberrimē di-
gneris, etiam atq; etiam te oro. Tua de piscibus Albis scri-
pta, omnia interpretatus sum latinē, alia aliis locis. Vti-
nam de reliquis etiam omnibus Albinis piscibus similiter
scribas, ut libellus is seorsim germanicē imprimatur, aut
etiam latinē, si velis, siue ex mea interpretatione, (quam in
tuam gratiam faciliē suscipiam) siue tua. Moschionis tibi de-
dicati curam, ut cuderetur, hactenus habere non potui,
defuncto illo typographo qui cudendum receperat: & me
in libro de piscibus ita occupato, ut aliud vix cogitare lice-
ret. Deinceps verò prima quaq; occasione habebō, &
breui forsan Basileam descendam, hanc præcipuē ob cau-
sam. vbi etiam latinum vetus manuscriptum exemplar in-
uenturum me confido, quod si contingat, dabo operam ut
imprimantur vnā, & mutua collatione per me ambo corrigantur
nam Græcum meum exemplar valdē est deprauatum,
nec potui melius adhuc ex Italiæ bibliothecis (quamuis ad
multos eruditos amicos meos scripserim) nancisci. Paula-
tim nunc de stirpibus scribam, in quo rursus argumento
opem tuam imploro. quanquam enim antehac cotulisti mul-
ta,

LIBER QVARTVS,

ta, poteris tamen (non dubito) in posterum etiam plura conferre, ut non infrequentius in meo de plantis volumine Kentmanni nomen sit, quàm in libris de animalibus. Aconitum illud Pardalianches, quod in libro tuo, qui herbarum icones continet, pictum est, ipse ne videris, an ab alio solùm pictum acceperis, scire cupio. pingitur enim tribus foliis. Matthiolus Senensis autem in commentarijs suis postremis in Dioscoridem, hanc herbam negat aconitum esse posse, (primum scilicet Dioscoridis) quòd folia non tria aut quatuor, vt Dioscorides scribit, sed vnicum semper habeat. Eodem in loco Matthiolus multa in me impudentius scribit, iratus mihi, qui eam, quam ipse exhibuit, aconiti imaginem, fictitiam mihi videri scripserim. quod quidem etiamnum mihi videtur, fictum esse inquam, vel omnino, vel aliqua ex parte. Vter verius sentiat, tempus patefaciet. Interim tuum quoque iudicium, doctissime mi Kentmanne, maturè audire aucto, cogito enim respondere Italo illi, ambitiosiori profectò quàm doctiori homini, & qui alios plerosque (Germanos præsertim tanquam omnino barbaros) præ se contemnat. Iuua me igitur & muni argumentis, si quæ habes, Optime Kentmanne, ut gentis nostræ authoritatem contra Italicam insolentiam defendam. Habeo iam ab Italis etiam nonnullis, Gallis & Hispanis testimonia quædam pro mea opinione contra Matthiolum ferenda. Cupio te legere, quæ Matthiolus scripsit, & iudicare liberè, maturèque ad me perscribere, vt libellum de aconitis, quem meditor breui edere, (saltem ad nundinas vernas) in quo multa mirabilia leges, citius absoluam. quanquam non accelerarem, nisi Matthiolo respondendum videretur: ne si diutius differam, concedere ei videar, quod nolim. Modestissimè tamen & simpliciter agam, (nisi egomet mihi excidam, aut mei obliuiscar) ut maiorem inquirendæ veritatis, quàm reprehendendi Matthiolum curam mihi fuisse lectores intelligant. Metalla illa, vel partem eorum, quæ abs te petij, si me amas (quod facis) mitte, quantulumcunque de singulis. Si quæ tibi chariora fuerint, remittam, inspexisse contentus. Kreichium Torgensem

B 3

phar

10

EPIST. CONRADI GESNERI

pharmacopolam, meis verbis saluta: & horti eius obsecro
descriptionem ad me mitte, hoc est, herbarum in eo proue-
nientium nomina, siue omnium, siue rariorum. Ælianum
si nondum accepisti (perfidia nescio quorum fortè, ego enim
profectò miseram) proximè alium mittam. Vale vir orna-
tissime, & me amare perge. Tiguri. 25 die Augusti, anno 58.

T. T.

Con. Gesnerus

Heri reddita est mihi, Kentmannè doctissime, iucundissi-
ma epistola tua, vnà cum thesauro metallorum, quem
ego vel Croesi & Midæ diuitiis antepono, nam præter
multa illa, imò innumera, varia & admiranda naturæ opera,
tuus etiam in omnibus, imò singulis, animus verè aureus, hoc
est, candidissimus candore ac liberalitate, & summo meo
amore, omni thesauro mihi præferendus elucescit. Vincor
equidem & numero & magnitudine beneficiorum tuorum,
suauissime mi Kentmannè, nec quibus verbis satis condi-
gnas excellenti liberalitati tuæ gratias agam inuenio. Et
malo nunc simpliciter tibi gratias habere, quàm multa de me
vicissim tibi polliceri, ut solent illi, quos Græci dosones vo-
cant. hoc tantùm dicā, ea quæ pollicitus sum aliàs, & præstare
hactenus non potui, vt primo quoq; tempore præstem
me conaturum. de Moschione imprimis dico, quem nuper
manuscriptum quendā codicem latinum, è Græco illo trans-
latum nactus, multis in locis emendauit, sed latina versione
rursus me per dolum priuauit ardelio quidam. eam ut denuo
acquiram, curandum mihi est. Metallica tua diligenter excu-
tiam omnia, & accuratè reponam inter κειμήλια mea, primo
quoq; ocio. & si quæ fortè habuero, quæ tamen paucissima
erunt, quibus catalogus tuus carere videatur, mittam: nunc
ad nundinas festinantibus nostris, cùm literæ quàm plurimæ
mihi exarandæ essent, subitò hæc conscripsi. Mitto ad te
seminum

LIBER QVARTVS.

seminum genera circiter XVI. breui accipies hortuli nostri descriptionem: in qua si quid placuerit, petes. Video in Kreichh̄ horto multa & rarissima esse: quæ cœlum nostrum, nimis vicinum niuosis alpibus, non ferret opinor, quantacunq; cura adhibita. Descriptionis eius horti, ut petis, ad te do apographum. picturam verò, qua D. Iacobus Schad, horti in certa spacia & areas distributionem indicauit, non mitto: quòd nec opus esse tibi putem: nec ego acceperim integram. Labyrinthi enim & Quadrati tertij picturæ non peruenerunt ad me. Mitto etiam Io. Leonis Africani Africæ descriptionem, cum Hannonis libello à me conuerso. aliud apud nos, quod gratum tibi fore sperarem, impressum nihil est. Reliquorum Albis piscium descriptionem cupidè expectabo: quam in nomen meum inscribi, non potest mihi non gratissimum esse, etsi iam prius ita (merito tuo) te amem, ut nihil ferè amoris erga te meo accedere possit. ego, ut & Germanicè à te conscripta, & à me Latinitate donata, in publicum maturè veniat hæc lucubratio tua, efficiam. Sum enim nunc, Dei gratia, liberior: neq; ampliùs astricta aut condicta typographis, ut ferè antehac, mea opera est. Si fieri posset, de alijs etiam nonnullis Germaniæ piscibus, addi nonnulla coronidis instar à te velim, audio in Marchia quosdam peculiare esse pisces, inter alios quendam *Blossfisch* nuncupant, de quibus per occasionem inquires. Anno superiore struxi coenaculum amplum in ædibus meis, cuius fenestras numero XV. piscium argumento exornabo: ita ut omnis generis marinorum, fluuiatilium & lacustrium animalium, aliqua, elegantiora præsertim, per singulas digerantur certis classibus. in harum una tuum quoq; nomen cum tuis insignibus addendum curabo. Condo quidem nunc stirpium historiam: sed ab ea interdum digredior, & intermitto, quod mihi non astricto facere licet. Val. Cordi libros 4. de herbis, arboribus & fruticibus, unâ cum iconibus mea opera additis, hac æstate imprimi curabo. & eiusdem annotata in Dioscoridem, quæ prius etiam olim excusa sunt Francfordiæ

ad

11

EPIST. CONRADI GESNERI

ad Mœnur. sed longè alia & copiosiora sunt, quæ manuscrip-
pta accepi, in primum duntaxat librum, & magnam partem
secundi. reliqua adhuc ferè ut prius edita fuerunt.
Dabo hoc memoriæ Cordi, quæ veneror, optimi & doctissi-
mi iuuenis, & ne eruditi illi labores eius, quos publicæ utili-
tatis ergò suscepit, intereant, aut aliis, qui vsurpare aliena dis-
simulanter solent, potiùs quàm ipsi, gloriæ sint, quantum in
me est, efficiam. Librum eius de arboribus non habeo inte-
grum. Io. Placotomus sua quædam, & quæ Ralla, & Georg.
Aemylius communicauerunt, ad me misit. Tu etiam, si quid
habes aut habere potes, quo manibus Cordi gratificeris, mit-
te maturè. Aconitum i. tribus insignis foliis à te mihi com-
municatum gaudeo. nondum enim videram eiusmodi: &
magis nunc in sententia mea aduersus Matthiolum, homi-
nem, in quo plus sit ambitionis quàm eruditionis, confirmor.
Medici Norinbergæ tres, (Hier. Donzellinus, Hier. Herold
& Iohan. Hefius,) & Iulius Alexandrinus Ferdinandi medi-
cus, & alij quidam, vt amicitiam Matthioli ambirem prope-
modùm me coegerunt. itaq; nuper amicè modestèque pri-
uatas ad eum literas dedi: in quibus tamen hoc mihi reseruo,
vt modestè ab eo dissentire mihi permittat: sicuti etiam Ron-
deletius, Bellonius, & alij non pauci eruditissimi viri: quo-
rum amicitijs fruor, etiamsi in multis liberè dissentiam.

Pisces fossiles in lapidi fissili à te missos accepi, sed absq;
literis tuis, autumno superiore. itaq; quis ad me misisset du-
bitabam. nunc te eius muneris authorem agnoscere gaudeo,
& gratias habeo. Secundam editionem Matthioli non censeo
tibi emendã, sed expectandam tertiam, quæ nunc Pragæ sub
prelo esse fertur, ducentis iconibus auctior, vidi ego icones
aliquot, elegantes sanè & multò maiores, quàm in prioribus
editionibus.

Scribo ad D. Iacobum Schad (cui hac in re me com-
mendabis) & peto ab eo semina quædam de horto Kreichh,
colligenda æstate proxima, si vixerimus. Quarundam etiam
icones peto, aut ipsas plantas siccas, aut partem de singulis,
vt sunt Crocus syluestris flore candido, Pæonia mas, Cyanus
exoticus,

LIBER QVARTVS

exoticus, Coronopus Theophrasti, Lilia quædam rara floribus rubris, Hypecoon Coris, Ceratia agrestis, Solanum fruticosum, Lonchitis. Neq̄ enim harum vllam in aliorum libris depictam adhuc extare puto: præter Corin fortè apud Matæriolum. Vale. Tiguri. 27. die Feb. anno 1559.

T. T.

Con. Gesnerus.

Valeo, Kentmanne doctissime & charissime, si tu vales. Ego quidè Deum opt. max. oro, vt quàm diutissimè mihi & amicis incolumem te tueatur. Bonam proximi veris æstatisq̄ partem peregrinationibus consumpsi: vna Augustam, altera Argentinam suscepta: & nuper in thermis etiam nostris immoratus sum, & in re quidem herbaria non parùm profecisse mihi videor, sed alia interim neglexi. Moschionem tuo nomini dicatum quò minùs ædiderim hæctenus, fraude cuiusdam (hominis ambitiosi, qui veterem latinam versionem à Typographo mihi concessam, sibi vt suo nomine æderet, retinuerat) effectum est. Hac hyeme, vt spero, nihil prohibebit, quò minùs cudatur. Icones etiã piscium cum nomenclaturis copiosius diligentiusq̄ adscriptis & explicatis (iam dudum coeptæ, sed intermissæ) hybernis mensibus proximis perficientur, DEO fauente. Interim partim obiter, partim ex professo in Stirpium etiam historia pergo. Nuper intellexi Split Sclauonicâ dictam herbam, rutæ montanæ aut Capnñ genus quoddam esse, & effectus præbere mirabiles: quos in libro manu scripto reperi, de ea si quid audisti aut inquirendo rescire potes, ad me scribe. Si reperiatur, vt spero, (nuper enim Medici quidam ea vsi feruntur, & ad diuersos scripsi) vires eius illas admirandas tecum communicabo. Non fuit adhuc ocium conferendi catalogum metallicorum tuorum cum meis. puto autem paucissima esse, quæ ego præter tua habeam, quorundam specimen perexiguum & ferè ἀτομον habeo. Cùm vacabit, inquiram. Mea certè in hoc genere pleraq̄

slime?

C

pleraq̄



EPIST. CONRADI GESNERI

pleraq; omnia tibi debeo. Nihil prorsus è fodinis Helueticis rari apud me est. ferreum ferè solum foditur. Valerij Cordi opera quædam hac hyeme Argentinæ (mea cura) imprimen-
tur. De authoris vita ac morte si quid habes (potes au-
tem cognoscere ex Ralla, Lipsensi Pharmacopola, cui aliquam
eorum partem dedicare statui, nisi dissuadeas) paucis & ma-
turè ad me scribi cupio. Vale in Domino. Tiguri. Augusti die
25. anno 1559.

T. T.

Con. Gesnerus.

VT reliquos pisces Albis descriptos depictosq; ad me mit-
tas, cupidissimè expecto : ego quod promisi, præstabo.
Edito libro meo de hortis Germaniæ, quæ mihi nascan-
tur cognosces, & quæ volueris petes.

CL. VIRO D. IOHANNI KENT,
manno D. Medico præstantissimo fidelissimoq;
Domino & amico suo synce-
rissimo,

CUm per angusta ad te scribendi occasio mihi data esset,
Domine & frater colende, volui hæc paucula scribere.
Accepi nuper literas tuas, cum Indico, aut Moschi [ut
puto] mure, & alijs quæ misisti omnibus, mihi gratissimis.
Murem eiusmodi nunquam videram : Coniicio autem verif-
simum Moschum ex eo colligi, & hanc ipsam esse, quam inter
alia preciosa odoramenta, D. Hieronymus, muris peregrini
pelliculam nominat. Iudicium tuum de Basaltæ non possum
non probare. Excuditur iam catalogus tuus fossilium, & de
calculis corporis humani liber, vnà cum D. Georgij Fabricij
libello : quibus & alia puto addentur & mea quædam. Quam-
primùm absolutus fuerit liber, mittã. Spero & Moschionem
cum alijs, Basileæ excusum iri breui. Libellus etiam de Isatide,
quem D. Fabricius miserat, excusus est ; Cuius quot exem-
plaria

LIBER QVARTVS.

plaria sibi petat author, cuperem maturè cognoscere. Ego has literas Norimbergam ad D. Hier. Heroldū & mitto: quò tu etiam scribere poteris, si quid voles ante nundinas, Sed festinatione opus foret, ut antè eas acciperem. Vale in Domino, qui te seruet perpetuò. Spatula foetida his diebus mihi primū in horto floruit: quare non opus erit, vt florem pictum ad me des: iam enim curavi pingendum: & semen etiam spero secuturum: Sicut & Iridis Illiricæ, quam habeo. Nam Iris vulgaris, & alia flore lacteo in hortulo meo semen non ferunt, vt nec in alijs puto. Iris verò in palustribus pratis nobis proueniens abundè, semen quoq; maturat. Quæ ex plantis picta à te petñ, si potes, ad nundinas proximas mitte Francofordiam: in pingendo enim & sculpendo toti iam sumus. Pro sumptu, quem indicabis, satisfaciam. Vale iterum. Tiguri. 1561, Iunij die 16.

T. T.

Con. Gesnerus.

MArtio superiore, Clariss. Kentmanne, cum literis meis ad te misi seminum rariorum genera duodecim, & spumam salis è Burgundia. Nitrum copiosum nuper inueni decocto fonte quodā procul hinc in Rheticis alpibus. Eius, si admoneas, specimen mittam aliàs, nunc non est ad manum. Toto ferè mense in alpibus illis immoratus sum, vt partim fontibus medicatis ad valetudinem meam (quæ nunc DEI gratia mediocriter firma est) fruere, partim stirpes inquirerem &c. Misi etiam libellos tuos. Et hæc te accepisse spero. Nunc summa festinatione hæc scribo: mittoq; nunc Valer. Cordi opera, cum nostro de hortis Germaniæ libello: nimis quidem negligenter & mendosè impressa, quod factum non esset, si mihi licuisset impressioni adesse. Posthac cautior ero. In Epistola ad Hieron. Heroldum, cui nuncupavi Cordi libros 4. de plantis (quoniam manu scriptos ab ipso acceptam) mentionem tui feci, vt debui, nempe quòd imagines aliquot in his libris a me positas, tuo beneficio debeat lector. D. Fabricio, si vacabit, scribam: sin minùs (propter innumeras occupationes quæ in angustijs. tempus mihi nunc

C 2

con

73

EPIST. CONRADI GESNERI

concurrunt) tu eū meo nomine peramanter salutabis. Superioribus mundinis ad eum scripsi, neq; operæ precium nunc aliquid habeo. Cordi operibus si ipsum oblectatum iri existimas, mittam aliās. Pudet me certē mei nominis in illis tam mendosē excusis. Institutum tuum pulcherrimum circa Albis inclyti fluminis vestri descriptionem tripartitam, in specimine illo, quod misisti, summa cum voluptate cognoui: & gratias habeo maximas, primū meo nomine, quod nostræ petitioni tantum indulxisti, deinde publico, quod præter ichthyographiam huius fluminis, tractationem quoq; auium eius, & Chorographiam conscribis. Erunt proculdubio hæc omnia in vtraq; lingua cognitu longē iucundissima: & descriptionum rerumq; ipsarum vtili sanē cognitioni, picturæ & icones summum addent ornamentum. Quid si chorographiam per se quoq; in tabulam conñceres, continuato ipsius fluminis ductura: ea & seorsim, & simul cum libro rectē venderetur. Placet argumentum, eiusq; diuisio: placet ipsa tractatio & elocutio: Nihil est quod moneam, aut reprehendā, mi Kentmanne. DEVS bonorum omnium autor & promotor sua gratia tibi adsit, vt & citō & probē perficias omnia. Opere perfecto, si vixero & opus fuerit, typographum aliquem commodū tibi inuenire conabor: quanquam optārim, si fieri posset, vt apud vos alicubi, & in tua præsentia excuderetur, quō omnia emendatiora prodirent. Circa nomina piscium & auium quædā fortē te admonerem, in quibus à te dissentio, si omnium nomina conscripta haberem. In reliqua descriptione nihil hercle mutare poterō. Nomina si quæ ficta sunt, vt Enneophtalmi, Lithodacæ, admonebis (si placet) lectorem, semel saltem in principio operis: Sunt enim pauca: ne quis imperitior de cæteris quoq; quæ veteres vsurpârunt, dubitet. Enneophtalmum ego duplicem feci (si bene memini) maiorem, quem vos simpliciter sic appellatis: & alium minorem &c. Mustelam læuem nullus (puto) Scriptorum dixit: Sed Galeum siue mustelum læuem, qui marinus tantū est. Percam minorem vestram (Kaulpersig) Melanurum non vocārim, Nam hic quoq; apud veteres marinus tantū est, Auratæ similimus. Sed

iudici

LIBER QVARTVS.

iudicium meum omne de piscium nominibus breuius & clari-
 expositum reperies in libro, Icones aquatiliū cum nomen cla-
 turis continente, qui impressus est hīc anno superiore, quem
 si nondum habes, mittam ad te aliās. Eodem anno auium ico-
 nes emendatæ & auctæ hīc sunt impressæ, quas misisse ad te
 memini, Item quadrupedum. Omnes rectè in vnum volumen
 coniunguntur. Auium & piscium si quas icones nouas habu-
 eris, quæ in libris meis non inueniantur, rogo vt ad me mit-
 tas. Ego magna cum voluptate spectabo, & si volueris,
 mox remittam, deq; singulis, quod ad latina nomina, quibus
 vocantur, aut vocari possunt, sententiam meam candidè ex-
 plicabo. Neq; profecto amplius quicquam de auibus aut pi-
 scibus edam, quod è tuis excerpserim, donec tua prodierint.
 Rogo autem vt ea perficere matures. Multa enim humani-
 tus nobis accidunt. Specimen Albis tui reseruauī, quoniam
 remittendum non expressisti: Si voles, mittam quamprimū
 potero, per Norimbergam fortè. Mitto oxymelitis nostri Elle-
 borati, felicissimi sanè remedij descriptionem: quam cupio te
 tibi seruare: neq; communicare, nisi vni atq; alteri fortè ex
 amicissimis & eruditis. Vxor mea grauissimè affligitur va-
 ricibus cruris læui, inueterato malo, cui ante biennium etiam
 vlcus accessit. Metuo ne sine sectione curari possit: senten-
 tiam tuam & consilium expeto, idq; vt quamprimū scribas,
 literis Norimbergam ad Paulum Olingerum Pharmacopo-
 lam missis. è Lipsia puto subinde aliquos proficisci. De-
 scriptiones piscium à Cordo nostro relictas, quas D. Meure-
 rus Lipsiæ habet, gratissimum fuerit mihi impetrari: exem-
 plar, si volet, remittam, & gratus ero. Eundem meo nomine
 officiosè salutabis. Folia, quæ tibi desunt in Historia pisci-
 um, vt Froschouerus noster è Francfordia ad te mittat, cura-
 bo. Quod si fecerit, indicabis. In stirpiū Historia paulatim
 pergo. Tu, si quid obiter fortè inciderit, ad eam illustrandam
 cura & mitte per interualla. Vale in Christo. Tiguri. 1561.
 Aug. die 28.

T. T. Con. Gesnerus

C 1

Differo

14

EPIST. CONRADI GESNERI

Differo semper ad te scribere vsq; ad nundinarum tempus, tum verò & aliæ occupationes, & literæ innumeræ in diuersas regiones me impediunt. Itaq; in posterum fortè extra nundinarum tempus maiore ocio scribam, & literas Norimbergam mittam, vt inde perferantur Lipsiam ad amicum aliquem, vt D. Mauritium Steinmetz Pharmacopolam, vel D. Meurerum, à quibus tu accipies. Idem tu facere poteris. Norimbergæ autem tradi poterunt D. Paulo Olingero Pharmacopolæ, vel D. Hieronymo Heroldo Medico. Mitto hoc tempore Casij problemata à me conuersa, & tuo nomini dedicata: quam meam voluntatem vt boni consulas, rogo. Exemplaria si voles aliàs plura mittam: Superiore autumno Valer. Cordi opera ad te misi. Tradidit ea Iosias Rihelius typographus Argentinensis Conrado Rhuel Bibliopolæ Vitebergensi, à quo te accepisse spero. Remisi etiam Albim tuum, & vt absoluas hortatus sum. In hortis Germaniæ videbis, quænam stirpes apud nos & in meis hortulis nascantur, & quarum volueris, semina petes. Nunc partim propter mille negotia, partim quòd perpauca superiori æstate mihi prouenerint, & multa aliunde missa perierint, nulla mitto. Si vacat, mitte catalogum horti tui, vt videam quibus careas. Hoc præstat, quàm vt tu petas. Multa enim habui, quæ amplius non habeo &c. In historia stirpium magnos subinde progressus facio: Et spero ad autumnum proximum me specimen aliquod ad te missurum futuri operis: Æstate proxima, D E O dante, mōtes aliquot remotos & præaltos adibo, quod et superiori æstate feci, partim stirpiū gratia, partim fontium medicatorum, vt & fruam h̄s ad valetudinem meam, & plenius de h̄s scribere possim in meo huius argumenti libro. Kreichius noster in horto habet cerasa quædam nouæ arboris (Zwerg Firschen) quorum fructum suo tempore cupio mitti, licet siccum. Ego Chamæcerasum montanum nostrum mitto, cuius nucleos pro Mahaleb vendūt Lugduni. Basaltæ Miseni mentionem facit Agricola, de fossilibus pag. 181. Ego lapidem hunc nondum noui, & videre cupio. Quinq; angulis constare ait, & tigni erecti specimen habere. Oxymelitis Elleborati
mei

LIBER QVARTVS.

mei descriptionem aliàs puto, ad te misi: cuius experientiam si nondum fecisti, vt facias omnino te hortor, quò felicem eius vsum agnoscas, & vera me scripsisse intelligas. Plura nũc non vacat. Vale felicissimè, & omnia tibi de me promitte, paulatim tamen propter occupationum multitudinem. Tiguri, 1562. Martij die 4.

T. ex animo.

Con. Gesnerus.

Vsq; ad eone, animus tuus totus à me alienatus est optime mi Kentmanne, vt perpetuum in me silentium decreueris? Aperi vno verbo per te aut alium, tantæ indignationis caussam: Varia enim mihi in mentem veniunt: ex quib. quid potissimum causser non inuenio. Anxius autem sum vehementer, & dolet mihi ex animo tam diuturnũ silentiũ: quod tamen facile ferrem, si de animo saltem tuo mihi constaret. Scripsi ad te anno 1561. autumno, & misi opera Cordi, & rursus 1562. Martio mense, & misi Cassios duos in tuũ nomẽ à me inscriptos, cum seminibus Mahaleb. Rursus eiusdem anni in fine Augusti cum seminibus aliquot generum. Tu verò perpetuò files. Nunc rursus scribo, & mitto specimen libelli nostri de lapidibus, proxima æstate, DEO dante, imprimendi. In hoc specimine videbis mentionem tui factam: in sequentibus foliis facies etiã tua cum stemmate exhibebuntur. Inquisiui de te per amicos, viuere & valere te audio, eoq; nomine Deo gratias ago. Quod si non omnino omnem mei curam & amorem abiecasti, scribe duobus verbis, & tanta anxietate me libera. Literas mitte Ienam ad D. Laurentium Hiel medicum, summum amicum meum: qui maturè eas curare poterit. Ad illum quidem has etiam mittere volui, vt testis esset. Nouit is ingenium meum: toto hĩc anno mihi familiarissimus fuit: conscius est occupationum mearum. Moschionem tibi promissum nondũ editum esse maximam suspicor esse tuæ abalienationis caussam. Sed exemplar Græcum, est longè deprauatius quàm putabam, vt eius ferè me pudeat, aliud diu expectans ex Italia mihi promissum, sed frustra. Nunc etiam si haberem emendatissimum, non facile paratum ei typographum inuenirem. DEVM testor, me cupere in honorem tuum

vel

15

EPIST. CONRADI GESNERI.

vel hoc vel aliud quiduis facere, quod fieri honestè & opportune poterit. Iam toto ferè biennio bellorum grauissimi metus à vicinis nostris Papistis, quibus dux Sabaudia, Itali quidam & Pontifex ipse, clandestino foedere iuncti sunt, nos suspensos tenent, iamq; proculdubio bellum erupisset, nisi Gallici motus impedissent. Ad hos enim miserunt fidei nostræ hostes exercitum: cuius maior pars quoniam interiit, iam rursus aliquot millia mittunt. Has & alias causas, quas nunc omitto, reputare te velim, & mihi ignoscere. Vale. Tiguri, Martij die 23. Anno 1563.

T. ex animo

Con. Gesnerus.

PLura adscripsissem, munera chartacea quædam misissem, sed quid faciam de vita tua aut viuentis animo incertus? Corpus meum si videres, imaginem mortis videres. Cupio interim tui causa cum lucubrando, tum aliter quosuis labores perferre. Tu verò tui causa tam miserè anxium vel verbulo non solaris. An religio forsan te prohibet? atqui circa illam nihil aut minimum dissidere nos puto. Si non rescribis, & prorsus me abiecisti, consoletur me DEVS, & tuis in me beneficiis, quib. adhuc sum obligatus, ipse pro immensa bonitate sua respondeat. Lachrimas addidissem, si saxum illæ mouere possent. Iterum atq; iterum vale, & viue quâ felicissimè animæ dimidiu meæ. Hæc raptim, ut perturbatus dictabat animus, effudi. Et propter subitam nuncij profectionem non relegi.

Has literas Cl. V. D. Georgium Fabricium quoq; legere velim: quo cum eadem fere mihi causa est. Eodem silentio erga me etiam schola Medicorum Vitebergensis vtitur, quibus opera Cordi dedicauit. Sed de illis non tanto perè laboro, atq; de vobis, de me toties, tum liberaliter, meritis.

Præ

LIBER QUARTVS.

PRAESTANTI DOCTRINA ET

virtute viro, D. Iohanni Kentman, Doctori
medico peritissimo, & amico suo bene-
merito. S.

Literæ tuæ, clariss. D. Kentmanne, quinto Martij abs te da-
tæ, 23. Augusti demum mihi redditæ sunt, in thermis vrbi
nostræ vicinis agenti, quibus perlectis gratulatus sum
mihi vehementer, & DEO gratias egi, quod & in viuis adhuc
& incolumis, & mei memor esses. Quantum enim pro te sol-
licitus fuerim, quod tantum temporis nihil omnino literarum
à te accepissem, & quantum, ne omnem mei curam abiecisses,
mihi timuerim, ex binis aut ternis vltimis meis intelligere fa-
cilè potuisti. Et agnosco quidem aliquam in me culpam, quod
in illis, quæ maturius præstare tibi debui, tardior fuerim, simq;
adhuc: Sed veniam peto, velutiq; inducias promissorum ad
tempus aliquod, dum multis & magnis occupationibus meis
diuersis, & lucubrationibus, quibus nunc incumbo necessariò,
aliqua ex parte defungar, si prius non licuerit stare promissis.
Sed spero, me breui omnino meam erga te voluntatem aliter
etiam declaraturum, de quo nunc tacebo. Malo enim post-
hac præstare, quàm polliceri quicquam. Ab vltimis ad me
tuis, triennium, ni fallor, elapsum est, ex quo nullæ aliæ ad me
peruenerunt hætenus. Accipio quidem lubens excusatio-
nem, scripsisse te, sed literas interciderisse: quod tamen miror,
cùm priores nostræ omnes ferè semper probè sint curatæ.
Ego quotannis bis, ad vtrasq; nundinas semel, hætenus sem-
per ad te scripsi. Cum penultimis meis, quas sub finem Au-
gusti superioris anni scripsi, semina diuersa misi, vt Aconiti, cui
flores albicant, Tithymali Myricæ, Lunariæ Alyssi, Drabæ,
typhæ seu bricæ, Doricæ herbæ seu Panacis Chironij, & hiera-
cij cuiusdam rari, quæ & ipsa metuo ne interciderint, quo-
niam in vltimis toto anno nihil literarum à me tibi redditum
ais. Cordum & Cassium te accepisse gaudeo. Ad vernas
huius anni nundinas literis ad te meis, quærimoniæ plenis,
D speci-

EPIST. CONRADI GESNERI.

specimen libelli nostri de lapidibus adiunxi, is quidē nondum est absolutus, hyeme proxima ut spero absoluendus. His scriptis, diligentius considerans, video te accepisse literas illas Augusto superioris anni 1562. à me datas. Sed ante id tempus per annum, inquis, nullas meas te recepisse. atqui ego eiusdem anni Martio mense Casſi exemplaria duo ad te misi, & semina Mahaleb: quæ & ipsa te accepisse fateris: Sed tardiùs forsan: Sed hæc mittamus, & maiori in posterum diligentia amicitiam mutuam, ne diuturno silentio obsolescat, foueamus, si non prolixis, breuissimis saltem exemplis, aut si id non liceat, salutatiunculis. Satis enim mihi fuerit, te viuere non tibi solùm & amicis tuis reliquis, sed etiam mihi, hoc est, me amare. D. Fabricio omnia fausta precor, & ut Ducum Saxonix historiam breui ac feliciter absoluat. Mitterem ad eum si quid esset, quo eum oblectatum iri sperarem. Sed nihil est in præsentia. Nam Iodoci Vuillichſi Magirica (quæ hac æstate utcunq; emēdauit, in gratiã typographi magis, quã quòd illa valde probarem) tibi tantùm mitto, propter argumentum Medicum, Hyeme proxima Dioscoridis libros 2. paratu faciliū medicamentorum Græcè & Latinè cum scholijs, quorum partem à Io. Moibano Medico Augustano, morte præuento, posteriorem relictam mihiq; legatam, ego absolui. Rihelius typographus Argentinensis impressurum se recepit, Piscium Albis descriptionem & fluuſi illius chorographiam nolim te omnino negligere. Nam & argumentum te dignum est, & laboris pars maior iam confecta, & patriæ illustrandæ tuæ occasio fuerit apta. Quod in pingendis ad viuum stirpib. in gratiã illustrissimi Principis Electoris operã ponis, id tibi mecum commune est: sed proprio sumptu & sine patrono hæctenus innumeras mihi pingēdas curauit, partim diligentissimè & ad viuum, partim ita ut fieri potuit. Iam etiam in formis ligneis pingi sculpiq; curo. Et tantus iam factus est sumptus, ac fides data typographo, ut omittere aut intermittere amplius hunc laborē non liceat. Itaq; pergam, Deo iuuante, donec in lucem tandē aliquando edere contingat, quæ per omnē ferè ætatē ab adolescentia mea hoc in argumento obseruauit. Ad id certè opus etsi multi multa, nemo tamen amplius te vno contulit: quod

eq 41

LIBER QVARTVS.

equidem ingenuè & libenter fatebor. Icones spero plures
& meliores me daturum, quàm in hunc usq; diem factum sit à
quoq; Matthioli Icones in vltima editione Germanica quam-
uis magnæ, non satis tamen accuratè, plerq; certè negligèn-
ter factæ sunt. De aconito eius primo (super quo iam diu mihi
lis cum eo est) nescio quis iam pridem ad me scripsit, tibi ali-
quid constare: & fortè ab eo tempore dum nullas à te accepi
literas, rescire aliquid potuisti. Id quicquid est, cognoscere
cupio. Ioh. Crato Cæsareus Medicus Vratislauriæ mihi signi-
ficauit, se radicam aconiti, quod pingit Matthiolus, domi suæ
apud ipsum Pragg vidisse: vbi in conuiuio, quo Matthiolus
ipsum aliosq; Medicos excipiebat, id ostenderit, Postea verò
scripsit, eandem radicem prope Vratislauriam inuentam, eamq;
misit. Est autem omnino eius herbæ, quam tu Squammariam
vocas, Germanicè, Schuppenkraut: cuius radicem quidè aliquo
modo (non rectè tamen) repræsentauit Matthiolus in pictura
Aconiti primi, folia verò addidit Doronici, veluti monstro è
duabus diuersis composito, Cuius rei causa videtur, quoniam
Doronicū alibi in horto nascens sine radice vidit, demonstra-
tum ei pro aconito primo (sicuti amicus ex Italia ad me scri-
psit) alibi verò alius quispiam Squammarix radicem pro eodè
aconito ei obtulit &c. Vtcunq; est fictum, & fraus est quod
pingit, sicut & aliæ quædam eius picturæ. Sed hæc ad te priva-
tim. Publicè enim ampliùs crabrones irritare non libet. Ex
herbis si quas rariores nactus es, paucas saltè mihi nominato,
vt vel nominib. me oblectes: Ego vicissim de rariorib. nostris
totidè aut plura nomina tibi reponam, & res quoq; ipsas, si vo-
les. Petrus Perna Basileusis typographus promisit se hyeme
proxima publicaturum consilia Montani, ad 400. Puto nouis
consilijs aucta. Hæc te scire volui. Si extra nundinarum tem-
pus ad me scribere tibi oportunum fuerit, Norimbergam ad
D. Hieronymum Heroldum Medicum literas mittere poteris.
Nundinarum autem tempore Francfordi Froschouero typo-
grapho tradendæ sunt. Vale optimè. Tiguri, Aug. die 27. An-
no 1563.

T. T.

Con. Gesnerus.

D 3

CL.

17

CL. V. DOCTORIO. KENT-
 manno, Medico eruditione & artis usu fideq;
 summo, amico opt. merito S.

Literas tuas suavissimas, doctissime Kentmanne, sub Iulij
 finem à te datas, nescio qua infelicitate heri primùm (hoc
 est Februarij die 15) accepi, à D. Hieronymo Heroldo
 missas Norimberga. Quamobrem tarditatem respondendi
 condonabis, quanquam nihil est ferè quod responsum po-
 stulet, præter hoc, quod scribis, te quinto Martij superioris
 anni ad me literas dedisse, Norimbergam itidem ad Olinge-
 rum missas. Quas ego accepi quidem, sed sub finem Au-
 gusti demum, ac mox respondi per nundinas Francfordien-
 ses. Alias si ad Olingerum miseris, admonendus est vno
 verbo, vt Augustam ad D. Achillem Gasserum medicum mittat,
 à quo citissimè transmittentur. Literas meas an acceperis, in-
 dica: & simul libellum Magiricorum quem misi. In præsens
 quod mittam nihil est. Totus in stirpium historiam me ab-
 didi: inter ea cogor etiam de lapidibus & metallis librum ab-
 ortiuum edere: quod fiet spero æstate proxima. Dioscori-
 dis librum Parabilium, nusquam antehac editum, cum com-
 mentarijs Moibani Medici, ab illo, morte præuento, non abso-
 lutum, à me verò postea, Argentinæ excudendum curo; ad
 nundinas autumnales proditurum, vt promittit typographus.
 Ad stirpes, lapides, & Metalla tu vnus omnium plurima libera-
 lissimè communicasti, quod fateor, & fatebor in libris meis.
 Hæc ipsa verè causa est, cum hætenus ferè ingratus extite-
 rim propter summas occupationes meas, vt amplius nihil har-
 um rerū à te petere ausim: Spero aut, si quid admodum rarū in
 stirpibus alijsue rebus se tibi obtulerit, sponte tua te commu-
 nicaturum aliquando. Faciem tuam in libro meo de lapidi-
 bus ac metallis, inuenies inter terras, quoniam tu quoq; illam
 terris quibusdam impressam ad me misisti. Plura non licet.
 Auocor ad ægrotum, & festinat nuncius. Vale Vir clarissime.
 Tiguri, 1564. Feb. 16.

Sua uis

LIBER QUARTVS.

SVauissimis literis tuis Torgæ datis, 20. Decembris, vir præstantissime & amicorum candidissime, serò mihi redditis, respondi nuper Iunij die 24. literis Augustam ad Achillem Gasserum Medicum missis: & spero illas iam tibi redditas esse. Simul autè gratias egi pro accuratissimo libro tuo te calculis corporis humani. Hactenus quidem liber de lapidibus, & metallis imprimi nondà potuit. Nunc pestis apud nos incipit. Elucubrabor quandiu Deus O. M. vità concesserit, & tui perpetuò memor ero, & quæcunq; edidero mittam. Nunc festinanti & occupatissimo mihi veniam dabis. Mitto doctissimi cuiusdam Medici Galli experimenta quædam. Circa aurum potabile si quam nec nimis difficilem neq; preciosam nimis rationem noueris, communica quæso: & vicissim mihi, vbi volueris, tot modis tibi obstrictissimo, impera. Vale. Tiguri. 1564. Aug. die 27.

T. T.

Con. Gesnerus.

SALuta D. Kreichium. Arthriticæ alpinæ vnicam in hortulo plantam habui, cuius semen nescio quomodo mihi intercidit: quod si etiam collegissem, vix sperassem inde nasci potuisse. Refugiunt enim nescio quomodo alpinæ illæ plantæ humiles tractus. Mitto tamen ei genera 7. seminum rariorum, & peto, vt ipse etiam pauca aliàs de rarissimis suis mittat.

ANte paucos dies, Clarissime & Doctissime D. Kentmanne, desideratissimas literas tuas Torgæ datas, 22. die Decembris proximè elapsi, Mañ die 20. Constàtia missas primùm accepi. Et paulò post alteras proximo Aprili à te scriptas. Et quanquam certum nuncium nunc non habeam, ac metuum, ne tardiùs hoc responsum meum tibi reddatur, respondere tamen volui, literis Augustam ad D. Achillem P. Gasserum Medicum, amicum meum transmissis: illum rogo, vt Lipsiam ad M. Ernestum Vogelium, typographum, affinem

D 3

meum

18

EPIST. CONRADI GESNERI

meum mittat, à quo tu, spero, facile accipies, Si modò melior fortuna dinceps, quàm hactenus literis nostris adsit. Querelis meis si te offendi, veniam peto, extorsit illas mihi mei in te amoris magnitudo. Libri nostri de lapidibus & metallis editione gaudeo hactenus dilatam esse, partim propter meas occupationes, partim typographi culpam. Et fortè adhuc in hanc emem vsq; proximam differetur. Basileæ pestis grassatur. Nos aère adhuc salubri, DEO gratia, fruimur. Sed aliæ causæ typographos nostros duos impediunt. Ego quidem varijs negotijs ita distrahor, vt neq; mihi neq; in amicos officijs, vt par erit, satisfacere queam. Hæ occupationes obstant, vt nunc etiam lapidum, quos habeo, qui pingi queant, nomina ad te dare non vacet. Et quia satis multos habere mihi videor, hoc tempore pro voluntate tua, qua mihi offers tuos, quibuscunq; caream, in præsentia gratias maximas ago. Vbi autem impressus fuerit liber, mittam ad te (si vitâ nobis mundi Dominus dederit) & rogabo, vt quos deesse mihi animaduertes, pro secunda editione aut adiungenda appendice, communices. In Argillis aut terris quibusdam faciem tuam, & arma siue insignia reperi, quæ sculpenda quoq; curavi, cum vt materiam ad hoc aptâ esse appareat, tum vt faciem atq; insignia tua, à quo & hæc & alia innumera accepi, ceu gratitudinis qualescunq; specimen lectori exhiberem. Moschionis moram ferrè te, quo animo valde gaudeo, neq; eius ego immemor ero. Imprimis verò suavis & iucunda hæc tua obligatio mihi fuit, qua singulis Lipsensibus nundinis tuarum literarum spem mihi facis, & te totum mihi ex animo offers. Quo quidem tam candido quàm vltroneo pectore tuo, nihil in hac vita suavius & optatius mihi contingere nunc posset. Quamobrem & gratias immortales tam amicæ imò fraternæ benevolentix tuæ ago, & vt à me quoq; vicissim omnia, quæ summum & intimum amicum imò fratrem decent, officia, expectes peto. Video quidem nos præter cætera ætate etiam ferè convenire: etsi ego paulò maior natus sum. Herbarium à te confectum esse, quo summo artificio depictas herbas 600. illustrissimo Principi Augusto Electori obtulisti, gaudeo sanè & gratulor tibi. Magnitudinem & pulchritudinem certè picturarum in specimine illo.

Elleboris

LIBER QVARTVS.

Ellebori nigri, flore candido, quod ad me misisti, admiror, Pro
eo etiã, quod iubes, vt petam si quæ mihi desint ex catalogo,
quem addidisti, meritò equidẽ, amicorum optime & liberalissi-
me, tantum tibi debeo, quantũ tu ipse volueris & petieris. Ca-
talogus tuus nunc non est ad manũ, & festino propter varias
occupatiões, quamobrẽ nihil in presentia peto. Sũ & ipse sub
inde in varijs plãtis depingẽdis occupatus. Ellebori nigri tres
species in hortulo mihi crescunt, quarũ vna florẽ lacteũ facit,
qualẽ misisti: eam proxima hyeme media florentẽ ex Italia ac-
cepi, pictum quidẽ etiam antea acceperam. Vidi & purpureo
flore, aut florũ potiũs calice, qui imperitis flos videtur. Affir-
mant aliqui, in eadẽ planta albũ esse florẽ, qui postea adultior
purpurescat, de quo mihi nondum satis constat. Iucundissima
mihi fuit effigies tua, q̃ vasculo è Iuniperi ligno inclusisti, eãq̃
inter thesauros meos habebõ: donec, quod opto nobis diuini-
tus concedi, corã aliquando intueri nos mutuo contingat. Sin
minus, meliorib. animi oculis meliorẽ nostri partẽ aspectando
per mutua literarũ colloquia & officia, nos interim consolabi-
mur, donec in meliore vita Deus O. M. nos coniungat. D. Ioa.
Kreich, virũ de me bene meritũ, resaluto. Verbasculũ monta-
nũ spero me ad nundinas Septembris Francfordia ei missurũ.
Venio ad posteriores literas tuas Torge datas 21. Aprilis, cũ e-
legãtissimo libello tuo de calculis, qui in humano corpore na-
scuntur, &c. cui per se muneri sanẽ splendido, erudito, raro, &
mihi longẽ omniũ gratissimo, ex argento etiã numos duos be-
ne crassos adiecisti, vt me prorsum omnib. modis tibi astrictũ
& obligatum redderes. Ego cũ liberalitate tecũ certare for-
san nõ possim, nec hĩc artifices tales habeamus: interim donec
ocasio remunerationis aliqua mihi expectatur, Deum orabo
per vnigenitũ suum filium D. N. Iesum, vt te mihi & tuis & mu-
sis nostris incolumẽ cõseruet, idẽq̃ tota mente orabo. Multis iã
modis expressam iconẽ tuã habeo, & sepius inspectare, & De-
um tibi propitiũ optare soleo. Accepi etiã carmen de insignib.
familię Kentmãnicę, à M. Laur. Durnhofero conditũ, idẽq̃ ma-
gna cum voluptate perlegi. Pro hoc & aliis omnib. & calculis
seu lapillis vnã cum libello, quo eos describis, ad me missis,
iterũ atq̃ iterũ gratias ingentes (immortales vellem si posseni)
benig-

EPIST. CONRADI GESNERI.

benignitati erga me tuæ incomparabili habeo agoq̃. Ego hoc tempore ad te nihil mitto: spero autem ad Septembrem missurum me aliquid: quod faciam tunc libentiùs, quoniam certius tibi redditum iri spero. Tum etiam scribam plura, & ad D. Fabricium quoq̃, quem nunc officiosè saluto. Manum eius de Callimo gemma agnoui, & sum deosculatus. Iubebis eum quoq̃ aliquid ad nundinas proximas à me expectare. Quod si mature has acceperis, percipio, Basaltæ specimen aliquod ad me mitti: cuius picturam iuxta fulmineum lapidem in medio perforatum in tuo de Calculis hominis libello posuisse videris incudis forma, de quo tamen dubito. Catalogum rerum fossilium tuarum, quem iam olim à te accepi, cum meo de lapidibus libello coniunctum edere statueram, si non dissuaderes. Sed cum numerus rerum illarum à te nunc, ut intelligo, valdè sit auctus, consilium muto: nisi tibi placeret, & vacaret catalogum illum de nouo, ita ut auctus esset rebus tuis nouis omnibus, describendum curare, & ad nundinas proximas Francfordiam mittere. Sed hoc totum tui consilij & iudicij esto. Osyridis nomine depicta à te herba in libro tuo, olim mihi concessa, mihi ignota est. Si potes vel alio nomine eam mihi indicare aut specimen ipsius siccae mittere, gratum erit. Cupio etiam scire, an in herbario tuo, illustris. principi oblato, facultates quoq̃ stirpium exponas, & an animus sit aliquando edere. Quod ut facias hortor. Nam eò citius res herbaria excoli & absolui poterit, quò plures diuersis in regionibus eam coluerint. D. Laur. Hiel meo nomine salutari cupio, si contingat ut ad ipsum scribas. Nam eius literas optatissimas toto iam seculo mihi desiderare videor. Vale felicis. Tiguri. 1564. Iunij die 24.

T. tanquam frater amantissimus

Con. Gesn:

Si

LIBER QVARTVS.

Si potes doce quæ sit Rorippe herba à Saxonibus dicta,
cuius Eur. Cordus meminit. Item *Eierkraut* : ab ouis dicta
herba quæ sit.

CL. VIRO D. IOHANNI KENT,
manno Medico, Doctrina & artis vsu pri-
mario, Domino & amico suo ob-
seruando.

L iteræ tuæ, Torgæ datæ, Octobris die 5. Norimberga tan-
dem ad me missæ, Ianuarij die 9. demum mihi redditæ sunt,
Kentmanne ornatissime: cuius moræ causam esse puto
D. Heroldi Medici, ad quem missæ fuerant, diuturna absentia.
Sed gaudeo omnia salua ad me peruenisse. Et cum ex inopi-
nato hodie nuncium Norimbergam profecturum reperissem,
nolui differre responsum ad Francofordienses vsq; nun-
dinas. Spero autem hasce citius ad te perlatum iri. Lite-
ræ tuæ semper elegantes, eruditæ, & bene descriptæ pictæq;
sunt: meæ rudes & festinatæ: quod partim occupationibus
meis, partim etiam visui luscioso, ne dicam, semicæco attri-
bues. Valeo alioqui, DE I gratia, satis commodè pro meo
temperamento. Pestis DE I gratia ante menssem nos planè
reliquit. DEVS te quoq; incolumem cum familia seruet. Pro
his, quæ de Osyride & Rorippa, alijsq; scripsisti, gratias ago.
Rorippa quidem à Fuchsio & Trago, Germanicè *Welsamen*
nominatur. Estq; seminis etiam vsus ad lumbricos & calculos
renum pellendos: ad sanguinem sistendū vim eius hactenus
ignorauī, Grata est Strutiopteridis pictura. Rhabarbari
folium cum eo, quod pinximus, conferam, vt emendetur.
Coniicio autem speciem Lapathi montani esse. Et verum
quoq; Rhabarbarum apud Persas ac Indos non nisi Laba-
thi speciem esse, odor ferè, saporq;, color ac vires testan-
tur: & Rhaponticum verum, quod quò frigidiore nascitur
loco, tantò propius ad Lapatha nostra accedit: inter nostrum
ac Persicum mediæ fortè naturæ. Quæ cum ita mihi persuasa
sint, iconem Rhabarbari à Matthiolo positam, quæ floribus

E

&

20

EPIST. CONRADI GESNERI.

& aliàs à Lapathi natura procul recedit, sanè suspectam habeo. Gratum est & Hemionitidis folium. Spatulæ fœtidæ florem nunquam videram: Proinde picturam eius abs te peto. Moluca Indica iam in horto mihi prouenerat ex semine, sicut & lilium Turcicum ex radicibus cum terra, missis ad me Verona: nam semen non fert. Missum est autem Gladioli Indici nomine. Ego ad Asphodeli species retulerim. Sed in his quoq; plurimum debeo voluntati tuæ, & picturæ sua magnitudine elegantiaq; perplacent. Habueram & Creticum Thlaspi. Posthac nullas stirpium icones te mittere velim, præterquam illarum, quas petiero, ne sumptus frustra. Si quas verò rariores habes, illas mihi nominari, aut folium floremue siccum mitti sat fuerit. Lapidū picturæ, quas misisti, sanè mirabiles sunt. & vt incognitæ mihi antea, ita longè acceptissimæ. Cyclaminū minus si magnitudine tantum differt à maiori, non te quiro. Arisaron quoddam habeo folijs angustis & longis, sed hæctenus nondum mihi floruit. Accepi & Basaltæ specimen, & folia aliquot catalogi fossilium tuorum, cuius reliqua etiam vt primo, quoq; tempore ad me mittas, vehementer te oro; quò possit maturè edi cum meis. Matthioli stirpium Commentarij latini noui ad nundinas vernas Francofordiam ferentur, in folio regali, vt audio: an verò aliquid amplius quàm Germanici contineant nescio. Germanica nomina fossilibus addi placet mihi: & velim etiam Bisaltæ Germanicum nomen ex te discere. Herbam ~~Sierkraut~~ Dodonæus saxifragæ aureæ nomine appellat. Hæc breuissimè sub tenebras noctis ad tuas respondi. Francofordiam iterum scribam DEO fauente ad Ernestum Vogelium, Et Euporista Dioscoridis nostra &c. ad te mittam. Vale felicis, dulce decus meum, & viue in Domino. Tiguri, 1565. Ian. die 27.

T. T.

Con. Gesnerus

SVMMA DOCTRINA ET VIR-
tute viro, D. Iohanni Kentmanno, Dresdensi, Do-
ctori Medico & Philosopho præstantissimo,
Domino & amico suo syncerissimo,

Lon-

LIBER QVARTVS.

Longiorem Epistolam Froschouero typographo nostro ad te commisimus cum Lexico latinogræco. Hanc verò breuissimam seorsim ad Rihelium, Argentinensem typographum, misi, vt Francofordiæ meminerit Parabilia Dioscoridis addere: quæ cum his literis spero accipies. Angelicam audio nasci in Boëmiæ montibus, & in Misnia contermina: radice nigriore quàm satiuæ: cuius radicis specimen exiguum cupio aliquando videre. Viperæ veræ aut saltem cognati serpentes an vsquam in Germania reperiantur, dubito, & miratus sum, cùm legerẽ in libro Cornarũ de peste, Basileæ olim excuso, pag. 79. Thomam Misenũ pharmacopolam, Rigæ apud Liuones theriacam componere solitum, viperis arte quadam istic etiam à se captis, quas (inquit) per omnẽ vbiq; Europam haberi & capi posse affirmabat. Ego hac in re iudicium tuum desidero. Mihi in Germania alijsq; frigidis regionibus viperam reperiri non sit verisimile, & fortè ne quidem in Italia habetur. Sed genus aliud, quod Marassũ vocant, in eo cognatũ, quod & ipse non oua, sed catulos viuos pariat: Sicuti & Cæcilia serpens apud nos, ein Blindschleicher/ quo Basileæ Pharmacopola quidam pro vipera vti solet. Ego viuum habui veram syrtiacam anno superiore, Verona ad me missam à pharmacopola, qui loco quodam aprico & saxoso muris septo eas feliciter alit. Quod si veræ viperæ haberi non possent, & trochisci theriaci nobis essent suspecti, vt sæpe sunt, interrogatus ego quid substituerem: sulphur viuum lectissimum respondi: de quo itidem sententiam tuam expecto. Vale, Tiguri. 1565. Martij die 23. T. T.

Con. Gesn.

EGo verò, charissime frater, ita iam sum securus & confirmatus animo, de sincera & perpetua tua erga me amicitia atq; beneuolentia, vt magno literarum apparatu & multis præfationibus minimè opus mihi apud te fore existimem amplius, sed omnino amicè, familiariter, fraternè ac simplicissimè ad te scribere ausim, quod tu etiam mutuo facies. Respondeo nunc ad binas literas tuas, quarũ priores quinto Octobris datæ, Ianuarij 9. demum ad me peruenerunt: Alteræ verò

E 2

De

27

EPIST. CONRADI GESNERI

Decembris 17. (si bene lego) datæ, multo citiùs redditæ sunt. Quæ misisti, omnia rectè ad me perlata sunt. D. Fabricij libellum, de Metallis, cum Iacobi fratris ad te Epistola accepi: qui sanè mihi gratissimus est: & ipse nunc ad eum scribo. Pro his, quæ de Osyride, & Accipitrina siue Sanguinaria scripsisti, gratiam habeo: vt etiam pro pictura & portiuncula Strutiopteridis, pro folio Rhabarbari, quod curabo emendandû: & altero Hemionitidis. Rhabarbarum apparet planè cognatum esse Lapathorum generi, sicut & Rhaponticum verum: quod inter Rhabarbarum atq; Lapathû nostrû, medio ferè loco collo cârim, coniecturis à sapore, odore, & facultatib. inductus. Lapathum certè magnû, folijs rotundis, radice non dissimili, etiam in alpibus nostris obseruatum à me memini. Vnde fit, vt exhibita Rhabarbari à Matthiolo figura, sanè mihi suspecta sit. Liliû rubrum Turcicum, cuius flos vno die tantûm durat, semen aut non fert, si D. Kreichius in horto non habet, mittâ ei radicem recentè autumno proximo, si vixero: & alia quædam. Nunc ad ipsummet scribo: & varia seminum genera mitto, & Verbasculum alpinum. Spero vos omnia habere communia. Quicquid de hisdem aut alijs tu quoq; desiderabis, proximis literis petes. Pro picturis perelegantibus Liliû huius & Thlaspidij Cretici, alijsq; cû Epistola illa misis, inter quæ fuerunt nummi duo crassi argentei, quorum alter imaginem tuam repræsentat, gratias tibi egi nuper etiam literis Norimberga misis, Ianuarij die 27. Volui autem paucis repetere, si fortè responsum illud non accepisses. Arisari picturam accepi aliquando à D. Leuschnero sine coloribus: Et quanquam herba mira est, flore præsertim, nihil tamen peculiare præter aron & dracunculum habere puto: nescio an fallar. Catalogum rerum fossiliû accepi iam integrum, & curassem ad has nundinas prelo absolui, sed operas non habuit patruelis meus propter grassantem pestem: à quo DEI gratia sub ipsum Domini natalè liberari cepimus. Ab his nundinis vt imprimantur omnia omnino operâ dabo. Et sicut vestra, est saxifraga aurea Dodonæi. Lapidem depictos etiam accepi: & de Isatide libellum: quem nunc remittere volui.

Sed

LIBER QVARTVS

Sed patruelis meus rogauit, vt sibi concederem imprimendum: cuius specimen mitto. Spero id authori non ingratum futurum. Si tamen addere ad finem libri aut mutare aliqua voluerit, faciet id maturè, vt proximæ æstatis mense Iunio aut Iulio ad summum, ad nos perferri possit. Iubebo enim vltimum folium tam diu differri. Simul etiam quot exemplaria ad se mitti petat, perscribet. Sed hoc fortè ad D. Fabricium scribere debueram, tibi non molestum erit ei significare, & mittere specimen. Cum tuis posterioribus Basilem de nouo pictum accepi: pro quo nimium certè facili & liberali animo tuo in me, plurimum tibi debeo. Porrò quòd non solum in gratiam meam catalogum tam operosum perficere voluisti, sed eundem quoq; in meum nomen supra quàm mereor, & honorificis titulis, & mearum lucubrationum splendida laude adiuncta, inscribere dignatus es, & publicè de metallico tuo thesauro, quicquid petiero, liberalissimè offerre: in eo sanè summam virtutem tuam, ac liberalitatem exosculor atq; amplector: Et me meaq; vicissim omnia tibi, studia atq; officia, & quicquid in rebus meis est, sincero animi candore offero. DEVS O. M. propter vnigenitum suum te mihi tuisq;, & arti nostræ illustrandæ tantisper animo & corpore incolumem conseruet, donec is idem occasione & facultate debitam tibi gratitudinem referendi, aliqua ex parte, magis quàm huc vsq; factum est, me iuuerit. Moschionis memoriam non deponam. Thomas Guerinus Basiliensis typographus recepit se impressurum, cum alijs quibusdam mulieribus. Pro strena tua, qua me calculis aleatorijs 30. elegantissimè profectò factis, & quarum similes hætenus non videram, donasti, gratias ingentes ago. Ego nec argentum, nec aliud huiusmodi preciosum mutuo ad te mittere possum: & desunt nobis artifices, quare chartacea nostra munuscula boni consules. Mitto nunc lexicon Latinogræcum, cui nihil inscripsi: vt si vsui fortè tibi ac tuis non esset, amico aut cui volueris dones. Curabo etiam vt Argentina aut potius Francoforto è nundinis Parabilium Dioscoridis liber, à Moibano quodam Medico Augustano translatus & scholjs

EPIST. CONRADI GESNERI

expositus, à me verò post eius mortem absolutus &c. ad te mittatur. Epistolam tuam Friburgum ad Patrualem scriptam Basileam misi ad amicum meum Medicum Theodorum Zuingerum: cuius fortè lucubrationes aliquas vidisti, nunc etiam volumen magnum, cui titulus, Theatrum vitæ humanæ, à Con-Lycosthene inchoatum, ab ipso perfectum prodit (Sunt autem loci communes exemplorum ex historiis) rescriptis se rectè curasse. Addideram schedam, ut patruelis tuus, si quid respondere tibi vellet, maturè huc ad me mitteret. Sed nihil adhuc respondit. Iconem tuam & insignia, & cistam oculamentis distinctam, quibus fossilia tua digessisti, diligenter sculpi curabo. Vale in Domino. Tiguri. 1565. Martii die 23.

T, tanquam frater

Con. Gesnerus.

Epistolium aliud ad te, Argentinam Rihelio mittam: eam solum ob causam, ut Francofordia Parabilia Dioscoridis ad te mittere non obliuiscatur.

Mitto & de peste libellum nostrum, nuper huc editum, de communi sententia duorum huc Medicorum, & mea: sed populo scriptum, non Medicis: de quo censuram tuam liberè te velim proferre.

CL. VIRO D. IO. KENTMANNO,
Doctori Medico Physico Torgensi, totius rerum
naturæ peritissimo, Domino & amico suo in-
comparabili & honor: S.

Accepi tua omnia, amicissime D. Kentmanne, & medio
Iulii superioris gratias egi, literis Norimbergam ad D.
Hieronymum Heroldum missis: quas spero te accepisse.

LIBER QVARTVS

se, sicut & Euporista Dioscoridis cum latinogræco Lexico, quæ nundinis vernis miseram. Nunc mitto impressa exemplaria tua, numero 6, plura missurus cum primùm petieris. Typographus se tibi obligatum ait, & de libris à se aut fratre defuncto impressis, si quos petis, vt accipias operam dabo, gratitudinis ergò. Nihil aut fortè est ex illis quod delectare te possit, nisi fortè volumen Chirurgicum in folio excusum, in quo multi Chirurgiæ scriptores coniuncti sunt. Eo si careas, & desideras, indica. Ad D. Georg. Fabricium etiam scribo, & mitto ei exemplaria tria. Libelli de Isatide etiam impressi sunt, quorum exemplaria aliquot typographum, Francfordia transmittere D. Fabricio, iussi, quem moneo cum acceperit, tibi etiam exemplar vt communicet. Quod me attinet, pro tua tam honorifica mihi inscripta dedicatione, ac tot laboribus ac sumptib. mea causa susceptis, quodq; maximum est, pro optimo & benevolentissimo tuo in me animo, me meaq; omnia, quicquid ingenio, corpore, & fortunis meis possum, aut potero unquam, tibi offero. Tot quidem tantaq; & vetera tua, & nunc noua hæc beneficia in me tua sunt, vt nisi tu animum meum paratissimum tibi, amantissimumq; & obseruantissimum tui, pro aliqua gratitudinis parte accipias, perpetuò ingratus sim futurus, Conabor tamen (cum Deo) rebus etiam ipsis aliquibus præstandis paulatim & per interualla, per omnem vitam, me tibi declarare. In præsentibus librorum tuorum impressione, si quid peccatū animaduertis, admone, & emendabitur aliàs. Dubitauimus & hæsimus alicubi in Germanicis quibusdam vocabulis præcipuè, quòd & res ipsæ quædam nobis incognitæ essent, & Dialectus vestra non parùm à nostra dissideat, Aliàs cum ocium maius fuerit, de paucis quibusdam dubijs ad te scribam. Inspexi exemplar ante prelū, & paucula quædam circa orthographiam mutauimus: In Germanicis fortè typographus, me nesciente & nolente, aliqua ad nostram dialectum deflexit: Sed ea pauca & parui momenti esse puto. Tum melius videbis, & admonebis, aut etiam obiurgabis nos liberè, si quid peccaui.

Non

23

EPIST. CONRADI GESNERI

Non verò solùm ante prelum, sed primam quoq; formam impressam inspicere, & librarij seu compositoris, vt vocant, errata egomet corrigere volui, non minùs in tuis, quàm in meis. Rogo autem, vt meum quoq; de figuris lapidum librum, (qu em nimum sanè festinatum, & in typographi gratiam, circa finem etiam mutilatum, vt ad nundinas absolui posset, quod ille vrgebat, emisi) per ociù paulatim inspicias, & de illis omnibus, vbi aliquid emendandum tibi videbitur, pro tuo candore liberrimè me admoneas. Agnosco .n. quàm multa adhuc in harum rerum cognitione me lateant, de quibus tu rectè iudicare potes. Insignia familiæ tuæ spero rectè sculpta esse. Mitto etiam ad te Practicam Medicinalem cuiusdam Galli anonymi, hinc impressam nuper. Typographus egerrimè ad nundinas libellos nostros absoluerè potuit, quare colores addere non licuit. Ad proximas verò nundinas, si vita dabitur, pluri- ma exemplaria colorib. illustrata habiturū se ait: quo tempore vt tu etiam accipias meminero. Plura nunc scribere nō vacat, propter Epistolas alias quàm plurimas, quas Francfordiā nunc mitto, vt inde in diuersas regiones ad amicos distribuantur. Audio Erasmm Reinaldum quendam Germanum, nescio cuiatē, Bononię in Italia Medicinæ studiosum fuisse anno 560. qui apud Vlyssē Aldrouandū medicinā profitentem Bononię, rei herbarię studiosissimū, mentionē fecerit Glycyrrhizę in Germania nascētis, radice rubra, flore purpureo, itē Glycyrrhizę Echinatę (cuius particulam ego siccam habeo; radicem & florem desidero) Gladioli flore cæruleo Islebię nascentis (ego purpureo tantum flore vidi) Lupuli triplicis, quorum vnus cæruleum, alius luteum florem habeat, tertius fortè vulgarior est: postremò Vermiculi à Diuo Iohanne denominati, alis nigris, albicante per medium puncto, Cuius pars inferior ventris siccata sub cineribus, pro tingēdo serico, quod Chermes dicitur, vsurpetur. De his si fortè aliquid cognouisti, cupio per ocium à te certior fieri, tum Aldrouandi, tum multò magis mea caussa. Oleaster Germanicus à Cordo dictus, estnè frutex ille, quem Rhamni nomine depictum in libro Iconum tuo vidi? Hęc dum scribo literę
mihi

LIBER QVARTVS.

mihiredduntur Vercellis, scriptæ à fr. Alexandro Vercellen-
si Medico, cuius liber Apollo inscriptus Venetis nuper im-
pressus est: omnē (vt titulus habet) compositorū & simplicium
normā, suo fulgore, ita irradians, vt eius meridiana luce con-
tenti Medici & Pharmacopolæ, omni librorum copia negle-
cta, ad quæuis opera facili-
mè se accingere valeant. In eo
libro siue Antidotario, multus est passim contra Matthio-
lum. Promittit autem mihi, se multa rara ad me missurum,
inter alia Satyrion verū, sed fortè non ante ver proximum.
Ego nunc demum totus, omisis rebus aliis omnibus, for-
mam operi herbario meo addere incipiam, cūm hætenus in
materia tantūm colligenda occupatus fuerim, & alia etiam
quædam egerim. Spatula fortida mihi quoq; hoc anno de-
mum floruit, & nunc fructum habet, sed nondum maturum: si-
cut & Iris Illyrica. Mitto specimen herbæ mihi incognitæ, ex
horto meo, in A. Scheda: cui flosculi sunt luteoli, inodori:
folia Leucoñ: semina in folliculis, vt vides: & aliam in B.
scheda, quæ Thlaspidio cognata videtur, æquè acris est aut
magis, & amarior multò: Sesamoiden aliqui vocant, quibus &
ego subscribo. Quod si id non esset, eius tamen vires habere
iudico. Sententiam tuam de vtraq; expecto. Si tibi constaret
vbi diem suum obiisset Cornarius, & an inter libros ab eo re-
lictos inueniretur adhuc Plinij exemplar, ab eo emendatum,
quod hæredes fortè vel commodato mihi darent, vel typo-
grapho alicui empturo venderent æquo precio, gratum fo-
ret id intelligere. Schisti nodum, & Morion seu Pramnium, &
Encrinon, quorum Agricola meminit, libenter viderem. Si
potes, mitte: & remittam: & lapidem ossi similem, qui in cotib.
aut coticulis reperitur: quem fractæ articulationi ossium si-
milem esse scribit Agricola, sub finem libri 4. de ortu & caus-
sis Subterraneorum. Mitto costi radicem, quam Lusitano-
rum nauigationibus debemus: ea an tibi quoq; costus vera
existimetur, indica. Matthiolus eam habet in suis Latinis
Commentarijs, hoc anno impressis Venetis, quæ radix Zin-
giberi

F

giberi

24


EPIST. CONRADI GESNERI


giberi similis est, maior, laxior & sublutea: quam ego Zingibe-
ris potius, quam costi speciem crediderim. Eam quoque, si
petieris, mittam, Vale feliciter. Tiguri, 1565. Augusti
die 27:

MVliebria nostra tandem aliquando spero prodibunt.
Fefellit promissionem suam typographus Basiliensis. Sed
fiet tandem aliquid, DEO fauente. Saluta officiosè D. Io-
ach. Kreichium, cuius etiam horti catalogum, cum occasio se
offeret, excudendum cum alijs quibusdam curabo. Raptim.
non relegi.

T. ex animo.

Con. Gesnerus











Dieses Buch wurde im März 1953
von Restaurator Klaus Heiland, Gera
wieder instandgesetzt.

Faint, illegible handwritten text in blue ink, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Q 4077 2

ULB Halle


3

002 186 144



55-







EPISTOLARVM
MEDICINALIVM CONRADI
GESNERI, PHILOSOPHI ET
Medici Tigurini,

Ma 5744

LIBER QVARTVS.



VITEBERGAE
Ex officina typographica Simonis Gronenbergij.
M. D. LXXXIII.

14)

